

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

Desiderii Erasmi Roterodami Paraphrases In Novvm Testamentvm

Praemissa Est Io. Aug. Noesselt Historia Paraphraseon Erasmi Rot. In
Novum Testamentum

Erasmus, Desiderius

Berolini, MDCCLXXX

VD18 90514300

In Epistolam Pauli Ad Colossenses Argumentum Per Des. Erasmum
Roterodamum.

urn:nbn:de:gbv:45:1-14035

I N
 EPISTOLAM PAULI AD COLOSSENSES
 A R G U M E N T U M
 P E R
 DES. ERASMUM ROTERODAMUM

Coloffenses in Asia minore sunt, finitimi Laodiceis. Hos non viderat apostolus. Nam Archippi, five quod addit Ambrosius, Epaphrae, quibus hoc delegatum erat, praedicatione conversi sunt ad Christum. His vehementer imminabant pseudapostoli, conantes in dogma multo perverfissimum inducere, docentes, filium Dei non esse salutis auctorem, sed per angelos viam patere ad patrem. Neque enim venisse filium Dei in hunc mundum, neque venturum, quum in veteri testamento per angelos administrata sint omnia. Deinde Judaismum et philosophiae superstitionem cum Christi doctrina miscebant, observantes quaedam legis instituta, et superstitiose observantes solem, lunam, ac stellas, et elementa huius mundi, quibus docebant nos esse obnoxios. Hos igitur suae professionis commonefacit, ostendens, illos quidquid haecenus assequuti sunt, non angelis debere, sed Christo angelorum conditori, hunc unum esse caput ecclesiae, nec ab alio quoquam petendam salutem. Atque interim au-

toritatem suam asserit. Diligenter autem monet, ne pseudapostolorum magniloquentia, confictisque visionibus angelorum sibi imponi paterentur, et vel in Judaismum, vel in philosophicam superstitionem prolaberentur. Atque haec agit duobus primis capitibus. In reliquis hortatur ad officia pietatis, nominatim praescribens, qualis uxor erga maritum, qualis debeat esse maritus in uxorem, qualis parens erga liberos, liberi erga parentes, servi erga dominos, domini erga servos. Extrema pars salutationibus occupatur, nisi quod Archippum commonet officii sui. Scripsit autem e carcere ab Epheso per Tychicum, quod ipse palam testatur in hac epistola. Nostra argumenta addunt Tychico collegam Onesimum, quemadmodum ipse testatur capite quarto. (*) Graecorum inscriptiones ex urbe Roma missam testantur, hinc certe remisit Onesimum, quem illic in vinculis genuerat Christo.

(*) Aliae omittunt verba: *quemadmodum-quarto*, et substituunt: *nec satis video, quid sequuta.*

ARGUMENTI FINIS.

IN
 EPISTOLAM PAULI AD COLOSSENSES
 P A R A P H R A S I S
 PER
 DES. ERASMUM ROTERODAMUM.

CAPUT I.

- 1 **P**aulus legatus Iesu Christi, idque non ex institutio-
 ne hominum, sed ex voluntate Dei patris, simulque
 2 Timotheus, qui mihi fratris est loco ob perfectum in
 evangelio consensum, his qui Colossis agunt fidentes
 Christo Iesu, et ad huius doctrinam vitae sanctimo-
 niam sectantes, nobis iam carissimi fratres professionis
 consortio. Sit vobis gratia et pax a Deo patre nostro,
 ut quemadmodum illi gratis estis reconciliati, ita mu-
 3 tuam inter vos concordiam semper alatis, sicuti decet
 fratres communi patre gloriantes. Tametsi non con-
 tigit mihi videre vos, tamen in precibus nostris, qui-
 bus assidue compellamus Deum, et patrem domini no-
 stri Iesu Christi, simul etiam pro vobis, et gratias agi-
 mus pro donis illius in vos collatis, et precamur, ut
 4 suas dotes in dies augeat, ac tueatur auctas, postea-
 quam per Epaphram cognovimus fidem vestram, qua
 confidimus vos fore incolumes, non angelorum prae-
 fidio, sed gratuito beneficio Christi Iesu, per quem
 patri visum est nobis omnia largiri. Nam et hunc
 Christum appellari voluit, ut ex illo salutem haurirent